

1098.12

ASTRÆA, ET CHARITES:

Chorus

SEN: FRANCISCI ALEMANNI;
præfecti Pistorio,

repræsentatus

A IOANNE BAPTISTA CANOSSA I. C.
SEN: HORATIO MINERBETTO,
eius in d. præfecturam successori.



PISTORII. Apud Petrum Antonium Fortunatum.

Superiorum permissu. 1654.


Vod a Serenissimo Magno Duce nostro electus fueris, qui Ciuitatem hanc regas, & noster sis omnium præses, ac moderator, sanèquam, pro eo, ac par est, & tibi gratulamur, & nobis gaudemus.

Tibi gratulamur. quià virtus tua, si, vti generosę germen indolis, faustorum hospes penetralium, & Medyceorum syderum alumna, continere se domi diutiùs non poterat, amplissimum iam nacta est theatrum, in quo suas poterit partes pleniùs agere, se se facere conspectiorem, & gloriosum toti Hetruriæ spectaculum dare, tubis spiritum, animam famę. Nobis gaudemus. quià, si cor Principis est in manu Dei, & Deus nec fallitur, nec fallit, sperandum nobis est, ex hac electione fore omninò, vt, quam suauissimi regiminis iacturam facimus, ex discessu Francisci Senatoris Alemanni, eam tu, pręsentia, tua, plenissimè resarcias. Quapropter, vt citiùs communem hanc omnium lætitiam impleas, & tantę respondeas expectationi, non ingratum iam tibi erit audire (licet ab imperito) quàm ille humaniter nobis iustitiam administrauerit (veluti Astreę, & Charitum choragus) vt in eius erga nos meritis agnoscas partes tuas, & vota nostra.

De Alemanni iustitia qui se dignè satis agere posse confidit, næ ille aut nimium sibi confidit, aut Alemannum non cognoscit, aut, si cognoscit, iniquus est eius æstimator. cum enim iustitia foueri concordiam, concordia stare ciuitates intelligeret (planè vt non immeritò crederent veteres, ipsum etiam Iouem, licet Pallade plenum caput, regere Orbem terrarum, sine, Astræa, nesciuisse) haud satis vnquã dici possit, quàm acris fuerit iusti assertor, quàm diligens custos, quàm sollicitus defensor. Non eum munera, non amor, non odium, non preces, non lachrymæ, non denique ænea pectora, non etiam phalanges, angustissimum quidem vnguem a recti semita dimouissent.

In Olympi vertice stetit illi Astræa: Ac proinde, licet eiusdem Olympi latera quaterent venti, procellæ, imbres, ea tamen semper supra turbines omnes, supra omnes tempestates fuit. Quinimmò, si olim Brutus patrem exuit, vt consulem ageret, hic, vt consuleret iustitiæ, cum exuere non posset patrem, quià cælibatum religiosissimè custodit, profectò exuisset hominem. Viduas dilexit, pupillos amauit, orphanos in oculis tulit, in sinu pauperes, planè ità, vt hi egestatis incommoda non senserint, orbitatis illi, omnes verò lachrymas, licet domesticas, eliminauerint, sed, quià iustitiam gessit in corde, si quis eorum abfuit a iustitia, ab eius corde abfuit.

Reos alicuius criminis, vt inimicos iustitiæ, suos reputauit necessarios hostes, nec minori prosequtus est odio, quàm tenebras prosequatur Sol, vt quos, vel ipso in aduentu suo, Astrææ gladio percussit, dissipauit, extinxit: quanquam odium istud in exteros tantùm, qui fortè iustitiam offenderunt, exercendum fuit, non in Pistorienses, qui ab ingenito sibi amore virtutis degenerare nesciunt vnquam, & semper viuunt honestissimè, neminem lædunt, & vnicuique tribuunt vltrò, quod ei debetur.

Atque hanc quidem iustitiam nobis administrauit Senator Franciscus Alemannus. Verum enim verò iustitiæ adiunxit humanitatem, nempe Charites Astrææ, vt, quoniam eæ coronam faciunt, hæc incederet coronata, ac proinde non solum supra omnem æmulationem esset, sed prætereà etiam nos regeret, ea suaui maiestate tantùm: & prudentissimè profectò. Vbi enim, vt hac in vrbe, generosa vehuntur capita, nauis non, nisi zephiris spirantibus, portum capit, iustitia, quo minorem vim facit, eo habet maiorem, &, quemadmodum indicauit e Bucephalo Alexander, & cecinit Claudianus (e Phœbi tripode veriùs, quàm e Musarum lauretis)

„ peragit tranquilla potestas,
„ quod violenta nequit.


Tanta igitur humanitas in Alemanno extitit, quanta non vnquam

quam in alio. Etenim, quem dignitas maiorem omnibus, singularem authoritas, potestas vnicum faciebat, eundem humanitas, tanquam regula lesbia, parem fecit summis, medijs infimis, &, Solis æmula, suos omnibus radios pariter impartita est. Ciues, exteros, notos, ignotos, meritos, non adeò meritos, omnes prorsùs, hilariter in admissionibus excepit, officiosè tractauit, dimisit obsequiosè, finem verò congressibus non fecit vnquam, sed expectauit semper, &, si quis ab eo cum repulsa recessit, vt qui fortè non admodum iusta petierit, certè sine spe aliqua, aut saltem tristis non recessit. Præfuit, non tam vt præesset, quàm vt prodesset, melior potiùs, quàm maior, quià magis se datum nobis fuisse, quàm nos sibi intellexit. Vnde antecessores suos, licet omnibus obuios, præsentes omnibus, & extremas, penè dixerim, benignitatis metas nobis prætergressos, longissimo tamen omnes post se interuallo reliquit. Illi namque non ità se nobis exibuerunt, quin aliquando etiam sibi vacauerint, non ità se nostris dederunt negotijs, quin proprio etiam indulserint otio, non ità horarum liberales nobis extiterunt, quin statas aliquas habuerint, quas genio tribuerent, aut saltem quieti, hic autem nullius otij, omnium horarum, nihil condus, totus promus, sibi nihil fuit, vt nobis nihil non esset. Quid verò si, eum ne irasci quidem potuisse, diximus? Delphicus ille Apollo dextera quidem gestabat Gratias, sed, quià etiam fulmina gerebat sinistra, & oculos liberos, liberum os, habebat, ideò, si imparia illa onera mutuatæ sibi inuicem fuissent eius manus, potuisset ipse, oculis, ore, dextera, fulgurare, tonare, fulminare. Apollo autem hic noster Alemannus, qui perpetuum, hoc anno, fecit huic cęlo diem, haud quidquam horum efficere nobis vnquã potuit. Quandoquidẽ, si verum est, nostrorum officinam malorum esse nostram cuiusque vitã, nos fabros, profectò nullum is a nobis habuit vel fulgur, quo minaretur, vel tonitru, quo increparet, nedum fulmen, quo exterminaret, &, si habuisset, certè etiam habuisset & oculos, & os, & manus, vtranque, Gratijs impeditas. Grata impedimenta:

menta: ex quibus inane perpetuò fuit optare, vt is procul à nobis esset, quò essemus procul a fulmine, cum immò eius absentia nos procul a Gratijs effecisset. Si quis igitur Alemanniæ famæ, quæ tota Martialis est, credat, &, Genium illius prouinciȩ Martem esse, dixerit, nos, qui riuum gustauimus, arguimus de fonte, & iurabimus, esse Gratias: si quis nomen Alemānum, quasi Martis nomen, abhorreat, nos, qui propter Alemannos, viximus cum Astræa, & Gratijs, optabimus omnes, vt, cum suo Martis nomine, nobis semper viuant Alemanni.

Hæc sunt Senatoris Francisci Alemanni in nos merita, hȩ partes tuȩ, hæc vota nostra. Merita, quibus non conamur paria facere, quià ne dicere quidem possumus proxima: partes, quas spectatum admissi expectamus omnes cum plausu: Vota, vt, partibus tuis, eius merita nobis repræsentes. Quibus quidem si nos damnaueris, votiuæ tibi erimus tabulæ rei, & Apellem aliquem rogabimus, qui suæ in eam artis conatus omnes conferat, & tua coronet imagine: nec ex Academicis hisce, Solis familiaribus, deerit, qui te affinibus suis Astris inserat, & nomen tuum mittat in sæcula.

IV


ALLEGRI
LABORAT.
RESTAURO
LIBRI
PARMA